

LV. Cæterum non est similitudo in hoc, quod sicut existentia est actus non informans, sed terminans, ita et intellectio: quia existentia est actus constituens rem complete, et in facto esse extra causas, quia ibi terminatur actio operantis, et sic terminative se habet respectu essentiali, ut ponendæ extra causas, et in fieri. Intellectio autem non est complementum, aut terminus naturæ intelligentis, aut fieri ipsius, sed est perfectio operationis, ubi ultimo sistit operative, tamquam in perfectione superveniente sibi, non ut termino, et facto esse sui, completur. Non ergo intellectio informat in genere intelligibili terminando sicut existentia, nec repræsentando sicut species, sed operantem constituendo, et sicut aliæ formæ informantes, aut perficientes vitaliter, etsi in hoc genere sit ultima, ut accidens, et forma superveniens. Et ad exemplum de subsistentia idem respondetur quod ad exemplum de existentia, (ut etiam supra dictum est.)

LVI. Quod vero iterum instatur de specie intelligibili, quod se habet ut comprincipium influens cum potentia in actum vitalem, et tamen suppletur a Deo, dicimus et quod species est comprincipium ex parte objecti, non ex parte subjecti: licet enim species in quantum accidens inhæreat subjecto intelligenti, tamen objectum repræsentatum non inhæret intellectui, nec intentative informat illum, sed solum intelligibiliter, id est, repræsentative, vel per se ipsum in esse intelligibili totum se communicando intellectui, ita ut intellectus ipse dicatur fieri res intellecta in alio esse, scilicet, in esse intelligibili, seu repræsentativo. Et sic objectum est terminus intellectionis, et comprincipium, quatenus determinat, et proportionat objective intellectum ad

intelligendum tale objectum, et ad operandum circa ipsum tali specifica operatione. Cæterum ipsa operatio omnino se tenet ex parte subjecti, et sic informat illud ut actus ejus secundus constituens illud operans, non ut objectum terminans, et ad suum esse intelligibile communicandum, intellectum trahens.

LVII. Ad instantias contratertiam implicationem. Ad primam dicitur, quod intellectio in nobis cum sit operatio elicitata respicit intellectum, ut causam efficientem vitali modo, et se movendo in illum actum, concedo; ut causam efficientem præcise producendo effectum, nego. Cum autem dicitur, quod Deus potest supplere vicem causæ efficientis, distingo; quantum ad effectum, dando illi esse, transeat; quantum ad actionem et modum procedendi a causa efficienti, nego. Potest enim Deus effectum, quem producit causa secunda producere, aut conservare se solo sine causa secunda, quia ejus virtutem eminentius retinet: non tamen potest supplere actionem, ita ut talis effectus, et multo minus quod ipsa operatio dicantur procedere a tali causa, aut vitaliter ab ea sint, si a solo Deo procedunt, et non a tali causa: sicut potest Deus producere calorem sine igne, hominem sine generante, non tamen potest fieri quod iste homo dicatur filius illius, aut ista calefactio sit illius ignis, nisi ab illis procedant; eo quod in istis modis denominando importatur ordo causæ formalis, quoad modum vitalitatis, vel processionis ab alio, quo denominatur hoc esse ab illo; in eo autem quod est produci, seu accipere esse, solum intervenit ordo, et habitudo causæ efficientis, et hæc suppleri potest a Deo, non ordo causæ formalis.

LVIII. Ad secundam instantiam dicitur, Deum supplere Verbum,

seu speciem expressam in beatis, non quantum ad ipsam processionem, et originem, et dictionem; sed quantum ad repræsentationem per modum termini repræsentantis in esse intellecto. Cum enim in beatis unitur divina essentia in ratione Verbi, seu speciei expressæ, non facit quod illud Verbum sit dictum, et originatum vitaliter a nostro intellectu, hoc enim suppleri non potest; sed solum facit, quod illud Verbum repræsentet intellectui, per modum termini essentiam divinam; sicut quod per modum principii repræsentet in quantum est species impressa. Et licet Verbum sit terminus vitalis respectu ejus, a quo procedit, vel naturæ, cui identificatur: tamen respectu ejus cui communicatur, non requiritur quod sit vitalis ut ab eo procedens; sed sufficit quod in se vitalis existens, communicetur ei, et suppleat repræsentationem termini vitalis, non processionem: quam jam vitalitatem supponitur in se habere, quatenus divina est. Videantur quæ diximus I tom. I part. disp. XIII, articulo V.

LIX. Ad auctoritates, quæ ultimo adducuntur, respondetur quod in primo loco Augustini solum significatur: « Quod secundum illam visionem Deus bonus est, secundum quam apparet mundis corde, » id est, secundum illam visionem objective sumptam, scilicet secundum illam rem visam, in qua Deus apparet, sic bonus est: non tamen inde sequitur, quod visio formalis, qua ipsi beati ex parte sua Deum vident, sit ipse Deus et increata visio. Et cum dicit, quod illa visio, qua contemplabimur Deum, summum bonum est: si accipiatur visio objective, summum bonum est entitative in se; si formaliter, summum bonum est, ut finis quo, id est, apprehensiva est summi boni. In secundo loco, cum Augustinus

dicit, quod Deus per suam substantiam locutionem præbet Angelo, non intelligitur formaliter, sed effective, id est, per suam substantiam efficit locutionem in Angelo; non per suam substantiam formaliter supplet in Angelo locutionem, seu illuminationem.

ARTICULUS III.

Utrum beatitudo formaliter consistat in operatione intellectus, vel voluntatis; an utriusque?

Solum inter istas duas potentias versatur disputatio de formali beatitudine: quia solæ istæ spirituales sunt, et perfectissimæ, atque universalissimæ in cognoscendo, et appetendo. Et ideo cum beatitudo sit operatio optima, et perfectissima, et attingat universalissimum bonum, quod est Deus, oportet quod ad perfectissimas, et universalissimas potentias pertineat, scilicet ad intellectum, et voluntatem, non ad alias potentias corporales sicut imaginativa, et appetitus sensitivus.

I. Solum posset aliquis dubitare, an per divinam potentiam elevari possit sensitiva potentia ad vivendum, et fruendum Deo, atque adeo ad participandum beatitudinem, quæ in assecutione Dei summi boni consistit. Sed in hac quæstionæ non est quod immoremur, cum sit communis theologorum sensus, id esse impossibile, cum D. Thoma I part. quæstion. XII, articulo III, licet aliqui oppositum existimaverint. Et fundamentum est certum; quia ex parte Dei supponimus tamquam de fide esse omnino incorporeum, et purissimum spiritum. Ex parte potentiarum sensitivarum constat, non solum specificative, et secundum proportionatum objectum, sed etiam

essentialiter, et secundum adæquatam, esse corporeas, et sensibiles, quia secundum totam latitudinem suæ formalis, et essentialis rationis differre debent ab intellectu, qui est incorporeus, et spiritualis: debet ergo sensus secundum omnem rationem, etiam extensivam, intra limites corporeæ potentia contineri.

II. Constat denique ex philosophia, non posse aliquam potentiam etiam secundum elevationem divinam excedere limites suæ rationis formalis adæquatæ, sic enim excederet suam essentialem rationem, quæ intra illos limites continetur; et sic non potest elevari ad cognoscendum aliquid, quod materiale, et sensibile non sit; si quidem ubi aliquid habet rationem formalem adæquatam, idem est elevari ultra limites essentielles talis potentia. Nihil autem potest suam essentialem rationem prætermittere, et sub alia tendere ad aliquod objectum; quod enim essentialiter est, necessario et semper debet convenire, nec potest deesse, alias essentialiter non esset. Quod autem sensitivæ potentia, etiam secundum extensivam, et adæquatam rationem includantur intra objecta corporea, nec possint spiritualia attingere, manifestum est, quia spiritualia objecta, nec positive, et secundum proportionem, et similitudinem cum rebus corporeis possunt attingi a sensitivis potentiis, cum spiritualia abstrahant totaliter a corporalibus; nec per viam remotionis, sicut increatum attingitur ab intellectu creato, etiam virtute propria naturali: et ideo continetur intra objectum adæquatam intellectus, licet cognoscatur cum connotatione, et habitudine ad res creatas. Non potest autem sensus hoc modo procedere in ordine ad objecta spiritualia, quia sensus non utitur comparatione, vel abstractione, neque reflexione, ut

possit hoc removere ab illo, sed tantum directe tendit ad id, quod sensibile est. Ergo extra totam latitudinem hujus potentia est illud objectum sic abstractum ab hac sensibilitate, quod in se omnino immateriale est. Quare cum virtute naturali sensus nullo modo spiritum attingat, neque positive, neque remotive, manifestum est esse extra totam latitudinem objecti ejus adæquati, et sic non posse ad illum cognoscendum elevari.

III. Unde non valet instantia de objecto increato, quod non minus distat a potentia creata, quam spirituale objectum a potentia corporea, et tamen potest per elevationem attingere objectum increatum in se, ergo et potentia corporea rem spiritualem. Respondetur enim, quod res increata intentative in se considerata non minus distat a potentia creata, quam res spiritualis a corporea: res autem increata connotative affecta, et per viam remotionis, non distat a potentia creata, sed intra ejus objectum continetur. Unde elevari potest talis potentia, ut in se et positive Deum attingat, quia extra ejus terminos essentielles non est, cum ex virtute sua aliquantulum saltem per viam remotionis illum attingat; potentia autem corporea nullo modo etiam per viam remotionis, attingit rem spiritualem.

VARIA SENTENTIA ET PUNCTUM DIFFICULTATIS.

IV. Omissis ergo potentiis, et actibus sensitivis, circa potentias spirituales, quæ sunt intellectus, et voluntas, quatuor versantur sententia, in quam consistat beatitudo formalis essentialiter. Prima docet non consistere in uno simplici actu unius potentia, sed in plu-

ribus, atque ita beatitudinem non in solo actu intellectus, vel solo voluntatis actu consistere, sed in pluribus. Secunda sentit consistere in actu voluntatis, qui est gaudium seu fruitio de ipso summo bono. Tertia docet consistere in actu voluntatis, qui sit amor amicitia erga Deum, non fruitio. Quarta denique docet consistere in ipsa visione Dei, quæ est actus intellectus, actus vero voluntatis consequi, et quasi accidentaliter se habere, et multo magis aliarum potentiarum.

V. Primam sententiam plures auctores docent, sed non eodem modo, quia non eodem modo sumunt ipsam rationem beatitudinis. Quidam enim sumunt beatitudinem pro statu, alii pro essentia, seu ratione formali. Sumendo beatitudinem pro statu, constituitur a multis in aggregato plurium operationum seu honorum ad ipsam concurrentium, sine quibus beatitudo perfecta non est. Et hoc aggregatum sumunt aliqui pro omnibus bonis, tam animæ, quam corporis, quæ ad culmulum felicitatis pertinent in beato. Ita Holcoth in iv, dist. viii, articulo ii, per septem conclusiones; Buridanus x ethicor. quæst. iv, licet inter utrumque hæc sit differentia, quod Holcoth intelligit beatitudinem supponere tantum pro illo aggregato ex omnibus bonis, ita quod nulla pars divisive sit beatitudo: Buridanus autem censet, quamlibet partem illius aggregati esse partialem beatitudinem, v. g. visionem esse beatitudinem intellectus, fruitionem voluntatis, impassibilitatem, et claritatem esse beatitudinis corporis, etc. ex omnibus vero istis resultare unam perfectissimam beatitudinem. Accedit ad hanc sententiam ex parte Durandus qui iv, dist. xix, quæst. iv, num. x et xi, distinguit beatitudinem duobus modis accipi posse. Primo, prout includit

omnem perfectionem, tam animæ, quam corporis, et sic consistit in pluribus operationibus: alio modo, prout dicit id, quod inter operationes humanas est optimum, et sic consistit in una operatione. Scotus etiam in iv, dist. xliv, q. iii, littera A duplicem distinguit beatitudinem, alteram naturæ, qua ipse homo simpliciter dicitur beatus, alteram potentia, qua ipsa potentia particulariter beatificari dicitur. Primo modo constituit beatitudinem in unica operatione; tunc enim anima, seu homo beatificari dicitur, cum perfectissime objectum beatificum attingit, et perfectissima operatio non est nisi una. Secundo modo ponit beatitudinem extensive in pluribus operationibus, quia potentia beatificabiles, plures sunt.

VI. At vero sumendo beatitudinem non pro statu, sed pro essentia beatitudinis ex parte operationis, seu beatitudinis formalis, etiam plures auctores sunt, qui sentiunt beatitudinem essentialiter non esse unam operationem sed plures, scilicet operationem intellectus, et voluntatis. Quam sententiam aliqui ita acriter defendunt, ut velint esse definitam de fide in extravaganti Benedicti XII, et in Concilio Vienne. Ita Thomas de Argentina in iv, dist. xliv, quæst. iii, et iv, et in iv, opinione contra easdem conclusiones; Andreas a Vega lib. vii in Tridentino, cap. iii; Corduba lib. i, quæstion. xlii, propositione ii, in decimo, argumento; Alphonsus Toletanus in primo, dist. i, q. ii, articulo iii, ad argumenta contra tertium. Alii a censura abstinent, et recte, quia quidditates rerum rimari, et speculari ad scholasticas disputationes pertinet, non ad dogmata fidei. Et hic de essentiali ratione beatitudinis est quæstio. Tenent tamen illam plures tum ex antiquis, tum ex modernis. Ex antiquis, Alensis iii p. quæst. xxiii,

membro 1 ad primum; Ægidius quodlib. III, quæstione ultima, et aliis locis; Richardus in IV, dist. XLIX, articulo I, q. VI; Major ibi quæstion. III; supplementum Gabrielis ibi quæst. III, articulo III, in tertio articulo ejusdem dubii; Gregorius, Basolis, Narsilius, Ocham, et alii quos citat Ægidius a Præsentatione tomo I de beatitudine, lib. IV, quæst. VII, articulo II §. I. Ex modernis, Molina super quæst. XXVI, I p. et quæst. XII, articulo I, disp. II, conclus. V; Valentia II tomo, disp. I, quæst. III, puncto IV; Salas 1-2, tract. II, disp. II, sect. V, §. IV et V; Suarez, 1-2, quæstion. III, disput. VII, quæstiunc. I, §. Hactenus aliorum sententias, et ut probabilem defendit Ægidius a Præsentatione citatus.

VII. Secundam sententiam, quod beatitudo essentialiter consistat in una operatione, sed quæ sit fruitio voluntatis, et delectatio de bono præsentis (nam in actu desiderii, qui est de bono absentis nullus potest collocare beatitudinem, quæ est assecutio præsens summi boni) tenet Aureolus apud Capreolum in I, dist. I, quæstion. I, articulo II, contra sextam, maxime in quinto argumento, licet ipse non distinguat delectationem ab amore. Plures etiam sunt, qui putant delectationem ingredi essentialiter beatitudinem, licet non in illa sola collocent beatitudinem, sed etiam in actu intellectus, ut Alensis, Richardus, Major, Marsilius, Molina, et alii supra relati.

VIII. Tertiam sententiam, quod consistat in actu voluntatis, qui sit amor amicitiae, et charitatis erga Deum, tenet Scotus in IV, dist. XLIX, quæst. IV, et sequitur communiter Scotistarum schola, licet plures velint Scotum sensisse, quod principaliter consistat in actu voluntatis, interim non negando etiam poni in actu intellectus. Sed tamen Scotus distinxit (ut supra vidimus) dupli-

cem beatitudinem, scilicet naturæ, et potentiae, et hanc secundam in duplici operatione posuit quasi extensive; primam vero in unica operatione optima, et perfectissima, ut patet in eadem dist. XLIX, quæst. III, §. Ad quæstionem. Hanc autem operationem esse actum voluntatis non per modum delectationis, quæ supponit assecutionem finis, sed per modum amoris præcedentis ipsam quietationem, et delectationem, quo amore assequitur finis, docet in citato loco quæst. IV, littera F et G. Quod vero debeat esse amor amicitiae, et non concupiscentiae erga Deum, et illa fruitio, qua voluntas inhæret Deo propter se, docet expresse eodem loco quæst. IV. Et videri etiam potest in reportatis in IV, dist. XLIX, quæst. III. Cæterum quod in solo isto actu consistat essentialiter beatitudo, ita quod nullum alium admittat in conceptu suæ essentialiter beatitudinis, non multi etiam ex Scotistis docent, licet aliquibus placuisse doceat Basolis in IV, dist. XLIX, quæst. II, articulo II, in principio. Quod vero consistat in isto actu amoris amicitiae, quo inhæretur Deo, simul admittendo ad essentialiter beatitudinis actum visionis Dei in se, multi docent, quos supra retulimus pro sententia constituyente essentialiter beatitudinem in pluribus actibus, et videri potest Suarez hic q. III, disput. VII, quæstiunc. I, §. Dico tertio Ægidium a Præsentatione, qui plures citat lib. IV citato, quæst. XI, articulo IV, §. II, num. XIV.

IX. Denique quartam sententiam defendit S. Thomas, ubicumque de hac re agit. Illam tenet in hac quæstione III, articulo IV, et VIII, et I p. qu. XXVI, articulo II. Item in IV, dist. XLIX, qu. I, articulo I, quæstiunc. II. Item III contra gentiles, cap. XXV, XXVI, et XXXVII, et quodlib. VIII, articulo XIX, et aliis locis. Sequuntur omnes Thomistæ, Cajetanus hic,

Conradus, Medina, Porrecta, Curiel, Martinez, et alii, Capreolus in I, dist. I, q. I, a. I, concl. VI, et in IV, dist. XLIX, q. II, a. I, concl. I et II; Ferrariensis III contra gentiles, c. XXV et XXVI. Consentunt Durandus in IV, dist. XLIX, q. IV; Vazquez hic disp. XI, a. cap. III; Fonseca I metaphys. cap. I, q. I, sect. VI, post. IV concl. Conimbricenses, in ethicis, disp. III, q. III, articulo II, et alii.

X. Ut difficultatis hujus punctus innotescat, supponendum est quæstionem hanc esse prorsus metaphysicam, non dogmaticam, quia constat in beatitudine omnes potentias subjecti repleri omnibus bonis; juxta illud Ps. CII: *Qui replet in bonis desiderium tuum*; constat etiam ipsum objectum beatificum, quod est Deus, duplici potentia attingi, scilicet intellectu videndo, et amore fruendo. Nam de visione dicitur I Joann. III: *Cum apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*. Nihil autem felicius, aut beatius quam esse Deo similem. De gaudio autem, seu fruitione dicitur, Joan. XVI: *Videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis*; et iterum Psal. XXXV: *Inebriantur ab ubertate domus tuæ; et torrente voluptatis tuæ potabis eos*; Psal. XVI: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*. Unde Augustinus X confessionum, cap. XXI: « Omnes, inquit, ipsum gaudium, vitam æternam vocant. » Et utrumque scilicet, fruitionem, et amorem in beatitudine conjungit Concilium Viennense in Clementina Ad nostram de hæreticis, ubi damnat errorem dicentium, non indigere animam lumine elevante ipsam ad videndum Deum, eoque beate fruendum. Et in extravaganti Benedicti XII, ubi definitur animas sanctorum ante diem judicii videre Deum, additur: « Nec non definimus, quod ex tali visione, et fruitione, eorum ani-

mæ sunt vere beatæ. » Juxta quod in catechismo Tridentino I p. c. XIII, ad illa verba symboli: Et vitam æternam, dicitur: « Quod solida beatitudo quam essentialiter communi nomine licet vocare, in eo sita est, ut Deum videamus, ejusque pulchritudine perfruamur. »

XI. Cum ergo beatitudo perfecta, et statum beatitudinis habens utrumque requirat, et potentiam utrumque adimpleat, ac perficiat, restat nihilominus metaphysica quæstio: quid in istis operationibus se habeat per modum essentialiter; quid per modum perfectionis, aut comitantis, aut consequentis. De hoc enim loca illa Scripturæ tractant, neque aliquid a Conciliis, et patribus definitur: sicut aliud est dicere, quid in homine inveniatur secundum omnem suam perfectionem; aliud, quid sit præcise essentialis ratio hominis constitutiva. Unde D. Thomas in hac quæstione III, articulo III et IV, rem hanc metaphysice tractans, distinxit de eo, quod essentialiter est beatitudo, et de eo, quod est accidens ejus, sive aliquid consequenter vel antecedens se habens ad ipsam, et solum inquirat de eo, in quo essentialiter beatitudo sita est. Et sic. Nos etiam distinguimus de beatitudine ex parte status, qui est omnium bonorum aggregatione perfectus; et ex parte essentialium constitutivorum ejus. Loquendo de statu, seu perfectione beatitudinis, non dubitamus nec solam visionem concurrere, nec solum amorem, aut delectationem, sed omnia quæ ad reliquas potentias, et naturam subjecti perficiendam, et beatificandam concurrunt; sicut homo in statu perfecto, non solum requirit unionem animæ et corporis, sed etiam debitam quantitatem facultatesque in statu perfecto. Loquendo vero de essentia, et ratione essentiali constitutiva beatitudinis est quæstio: Quidnam ex is-

tis sit; et an pertineat ad intellectum, vel ad voluntatem, vel ad utrumque?

XII. Principium autem, quo in hac materia, et in quæstione decidenda uti debemus illud est, essentialitatem beatitudinis formalis esse assecutionem finis ultimi, seu objecti beatifici. Unde illa actio, vel illæ actiones judicandæ sunt esse formalem beatitudinem, quæ essentialiter, et formaliter assecutio finis ultimi sunt. Quæcumque alia formalitas, vel habitudo præter rationem assecutionis materialiter, et concomitanter se habeat, vel accidentaliter, verbi gratia, quod sit operatio nobilissima, optima, satiativa, ultima, fructiva, et si quæ aliæ habitudines, vel formalitates in actu illo seu operatione beatifica interveniunt, non considerantur in præsentia, nec pertinent ad conceptum constitutivum essentialitatis beatitudinis; solum enim considerata, et posita assecutione finis ultimi, ponitur essentialis ratio beatitudinis. Et unicum principium, quo in hac parte utitur D. Thomas et per plures articulos discurrens, scilicet, quod finis dicitur dupliciter, id est, finis, qui est ipsa res, seu objectum adispicendum, et ipsa consecutio, seu adeptio talis finis, et hanc adeptionem dicit esse formalem beatitudinem, ut patet in hac prima secundæ, quæst. I, articulo VII, et quæst. II, art. VII, et quæst. III, articulo I. Unde tandem in articulo III et IV docet, quod essentialiter beatitudo est ipsa consecutio finis ultimi.

XIII. Et ratio manifeste id ostendit, quia in eo debet essentialiter consistere beatitudo formalis, seu operatio beatifica, per quod essentialiter, et formaliter tangitur beatitudo objectiva, seu res ipsa, et objectum beatificum, ita quod maneat conjunctum subjecto beatificabili; si enim objectum illud est beatifi-

cans, tamquam objectum in quo aliquis debet beatificari, oportet quod illa operatio sit beatifica ut operatio, quæ isti subjecto conjungit objectum illud: sicut illud quo lapis conjungitur centro, est ultima finalitatio ipsius, quia sic assequitur finem suum. Essentialis ergo beatitudo ex parte operationis est illa, qua subjectum assequitur rem, quæ est finis, seu objectum beatificum: sic enim manet essentialiter beatificatum subjectum, cum maneat essentialiter suo fini beatificanti conjunctum. Assecutio ergo finis beatificantis est essentialis beatitudo, quia est essentialis, et formalis ratio beatificandi ipsa conjunctio cum objecto beatificante.

XIV. Reducitur ergo totus difficultatis punctus ad hoc, ut videamus, quo actu, quæve operatione formalitas ista assecutionis beatifici objecti perficitur, et in quo invenitur, an in operatione intellectus, vel voluntatis.

RESOLUTIO.

XV. Dico primo: Assecutio beatitudinis, seu beatitudinis essentialis, non in pluribus, sed in unica operatione ponenda est, licet status, et perfectio beatitudinis plures perfectiones, aut operationes accumularet. De hac posteriori parte conclusionis non est controversia, cum constet ex beatitudine plures sequi operationes, et perfectiones, tum in anima, tum in corpore, quæ essentialiter conceptum beatitudinis non intrans, imo sine ipsis invenitur beatitudo, sicut fuit in Christo sine gloria corporis, et modo est in animabus beatis. Multas etiam illuminationes, et perfectiones acquirit Angelus, et anima beata, multaque charismata in vo-

luntate, quæ ab initio beatitudinis non habent. Quæ tamen omnino pertinent ad statum, et perfectionem beatitudinis. In priori vero parte conveniunt D. Thomas, et Scotus. Nam de Thoma constat in præsentia quæstione tertia, quod totam essentialitatem, et formalem rationem beatitudinis constituit in visione, seu in actu intellectus, non in actu voluntatis, aut alterius potentie. De Scotus manifeste id sequitur, et docet in quarto, distinct. XLIX, quæst. III, ubi et si distinguat beatitudinem naturæ, et beatitudinem potentiarum, et hanc dicat extensive in pluribus operationibus; tamen beatitudinem naturæ ponit in una operatione, et tandem beatitudinem simpliciter concludit ad unicam operationem pertinere.

XVI. Fundamentum et ratio est, quia finis ultimus, et beatificus hominis est finis intelligibilis, et Deus clare visus in se. Ejus ergo assecutio (quæ est essentialis beatitudinis) si pluribus operationibus constaret, vel essent, plures operationes unius, et ejusdem potentie, verbi gratia, duæ visiones, seu duæ cognitiones; aut plures operationes diversarum potentiarum, verbi gratia, visio, et amor, actus intellectus, et voluntatis simul: nam ad alias potentias pertinere non posse Dei assecutionem, manifestum est. Si dicatur primum, manifestum est inconveniens, quia vel utraque illa cognitio est visio clara, et intuitiva Dei, vel altera tantum. Si utraque est visio, superfluit una ad essentialitatem beatitudinis; nam hoc ipso, quod actus est clare intuitivus Dei, quantumcumque remissus, attingit Deum in se ut objectum beatificum est, et hoc sufficit ad beatitudinem, etiam alio remoto, juxta dictum Philippi ad Christum, Joann. XIV: *Domine ostende nobis Patrem et sufficit nobis*; quomodocumque ergo, et ubi-

cumque verificetur, quod ostenditur Pater, sufficit ad beatitudinem; reliqui ergo actus non ad essentialitatem beatitudinis pertinent, sed ad aliquam ejus meliorationem, de quo jam non agimus. Quod si altera tantum cognitio est visio Dei, altera non visio, hæc secunda pertinet ad beatitudinem, neque illam consequitur, sed tantum prima, quia quod visionis non est in intellectu, beatitudinis non est, nec assecutionis beatificæ.

XVII. Si dicatur secundum, nempe assecutionem beatitudinis esse plures operationes diversarum potentiarum, scilicet intellectus et voluntatis, contra est, quia operationes non possunt esse ejusdem speciei, cum proficiantur a potentiis specie diversis, neque possunt æque simul procedere a subjecto, sed una subordinari debet alteri, cum voluntas ad suum actum supponat actum intellectus, nihil enim est volitum, quin præcognitum. Ex quo sequitur, quod non possunt isti actus æque perfecte, neque æque simul consequi ultimum finem, sed unus prius altero, et unus perfectius altero, etiam in ratione assequendi. Et oportet videre ubi consummatur assecutio, et in illo actu ponitur essentialiter, et formaliter beatitudo, in alio autem solum prævie, et dispositive; aut si in priori consummatur assecutio, secundus actus jam non erit assecutio; sed aliquid concomitans, vel consequens assecutionem, quasi perficiens ipsam. Quantumcumque enim isti actus inadæquate se habeant ad integrandam unam totalem assecutionem beatitudinis, et totalis atque adæquata beatitudo dicatur ex illis consurgere; tamen impossibile est, quod ex æquo uterque actus concurrat, nec uterque sit æque formaliter assecutio, etiam partialis, ipsius beatitudinis, si quidem sunt actus di-